


Jacob Fabricius   Georg Wolff


## **Disputatio Medica De Ictero Flavio**

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742565726>**

Druck   Freier  Zugang






F. J. 105  
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835<sup>1-26</sup>





DISPUTATIO MEDICA  
DE  
ICTERO FLAVO,

Quam  
AUSPICIO  
DEI TRINUNII  
*Ex Consensu & Decreto Amplissimi  
Collegij Medici*

In Celeberrima ad Varnum Academia,

PRÆSIDE  
MAGNIFICO p. t. RECTORE

*Viro Clarissimo, Excellentissimo & Experientissimo*

DN. JACOBO FABRICIO,  
Archiatro Megapolitano dignissimo, Pro-  
fessore ordinario solertissimo & Facultatis Medi-  
cæ DECANO spectatissimo,

*Dn. Praeceptore, Favourite & Promotore perpe-  
tuum venerando*

Pro summis, in Arte Medica, honoribus & privi-  
legijs solemniter consequendis

*Publico Examini placidaq; disquisitioni submittit*

GEORGIUS WOLFFIUS  
Sedino-Pom.

IN ACROATERIO MAIORI

*ad diem 18. Oct. horis tam Ante-quam Pomeridianis.*

ROSTOCKI,

*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typogr.*

ANNO M. DC. XXXII.



VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis Consultissimis &  
Prudentissimis*

DNN. CONSULIBUS & SENATO-  
RIBUS Reipub. Stolpensis.

DN. GEORGIO Dalbitzen / hæreditario *iii*  
Nemig.

DN. CONRADO Lebun.

DN. GEORGIO Lettowen.

DN. GREGORIO Scholasten.

DN. JACOBO Zandeken.

DN. HENNINGIO Rectowen.

DN. JACOBO Mielassen.

DN. MICHAELI Rinnern.

DN. GEORGIO Lehman / J. U. Licentiaro &  
p. t. Prætori.

DN. GREGORIO Flecken.

DN. MATTHIÆ Pritzen.

DN. MICHAELI Beggerowen.

*Nec non*

Spectatissimis, Integerrimisq; Primi-  
cerijs, Directoribus & Membris Honoratissimi  
Collegij der Gewandtschneider.

*Dnn., Affinibus, Fautoribus & Amicis suspi-  
ciendis & honorandis*

INAUGURALEM hanc DISPUTATIONEM  
do dico consecro

GEORGIUS Wolff.





## THESIS I.

**M**Edium, quo Sanitas corporis nostri, usq; ad definitum vitæ terminum, integra atq; illaesa retineri & conservari potest, optimo jure Temperantia vel Recta vivendi ratio censetur: Hæc enim est, quæ ab omni morborum insultu, quantum per humanam imbecillitatem licet, nos tutos reddit: hæc est, quæ adversus omnis generis mala nobis arma ministrat: hæc est, quæ nos fartos tectos conservat, quod munia vocationis nostræ legitime obire, quoq; mentem in corpore sano, sanam retinere queamus: Verum contra hanc, omnibus viribus insurgit Intemperantia, quæ illam impugnare, imò expugnare eminens comminusq; contendit: Notum enim est, plures Crapulâ quàm Ense perisse; illa est, quæ omnium animi, corporisq; vitiorum fons & origo dicitur, quæ multorum morborum Mater indigitatur; Ex quâ, tanquam ex Equo Trojano, omnis generis ægrotudines proveniunt & introducuntur: Generat etiam, inter alia, fœdam Bestiam, aspectu horrendam, dirisq; deo vendam, Jetericiam, quæ homines suæ jurisdictioni subiectos, modo citrino seu flavo, modo nigro & viridi, horribiliter tingit ac depingit colore, & nescio cui immani Beluæ similes reddit, nonnunquam maximâ cum angustia, & compressivo cordis dolore, alijsq; gravioribus accidentibus, in partem naturalium & Vitalium læsionibus direxat: Quæ etsi primâ facie, nil truculenti præ se ferre videatur; eas tamen ex  
A 2 insidijs



insidijs quas radices agit, ut maximo aliorum symptomatum  
apparatu comitata, agris exigua aliquando Sanitatis Vitaq;  
spes residua maneat.

II.

Erymo-  
logia vo-  
cabuli.

Multa autem, variaq; sunt nomina, quibus Medici hoc  
malum solent indigitare: Græcis  $\text{ἰκτερίδιον}$  dicitur,  $\text{ἰκτερίδιον}$   
 $\text{ἰκτερίδιον}$ , id est viverrâ, quæ sylvestris mustela species, cujus oculi  
flavo colore tincti, conspiciuntur, ut Aretæus lib. 3. cap. 15.  
Et Aëtius ferm. 10. cap. 17. habet: Sive ab ictero ave, quæ  
apud Græcos hoc ipso nomine, apud Latinos Galgulus nomi-  
natur, de qua scribit Plinius lib. 30. histor. natur. cap. 11.  
si afficiat aliquem laborantem ictero, trahere in se eorum illud  
virus, atq; ipsam perire, atq; egrum liberari: Vel ut aliis pla-  
cet, ab alterâ ave, quæ  $\text{ἰκτερίδιον}$  græcè, latinè milvus vocatur,  
siquidem hoc vitio laborantes, habent oculos auri colore simi-  
les oculis milvini. Latini morbum Regium appellant:

Synony-  
mia.

Mollitèr hic quoniam celsâ curetur in aulâ,  
Ut Poëta Serenus canit: quæ ratio ramen minus conveniens  
quibusdam videtur, qui rectius putant derivari ab auro, re-  
gio metallo, sicut  $\text{ἰκτερίδιον}$  Aurigo, ab auri colore, dicitur. Lucra-  
tius luridum vocat:

Lurida præterea sunt quæcunq; tuentur.

Arquati, quia luroris de corpore eorum.

Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum.

Multaq; sunt oculis in eorum deniq; mista.

Quæ, contage sua, palloribus omnia pingunt.

Nominatur  $\text{ἰκτερίδιον}$  fellis suffusio, item Arquatus & Arcua-  
tus, à similitudine iridis, vel arcus cælestis, si color ejus respi-  
ciatur. Germani die Gelbesucht / Vulgares Icteritiam ap-  
pellant: Nos græcum nomen retinebimus  $\text{ἰκτερίδιον}$  Ictericum appella-  
bimus.

III. Cum

### III.

Cum autem duplex, apud Practicos inveniatur Icterus, unus niger seu viridis, alter flavus seu citrinus, libet jam de de posteriore tantum, ut pote de communissimâ specie agere, illius definitionem, causas, differentias, signa, indicationes & deniq; Curationem quàm brevissimè proposituris.

Divisio  
Icteri in  
Species.

### IV.

Est autem color præter naturam fœdus, flavus, pallidus &c. totius corporis, ab Excrementitij & vitiosi humoris ejusdem coloris, per summam cutem effusione, ex debilitate nonnunquam ateractricis, plerumq; expultricis, non segregantis aut non propellentis bilem per debitas vias, vel & ipsius alimenti, utilisve sanguinis aut alterius humoris transmutatione in bilem, ducens originem.

Definitio.

### V.

Morbi verò, à quibus hoc symptoma qualitatis mutatae visibilis, seu accidentium corporis dependet, sunt in malâ conformatione & malâ temperie.

### VI.

Subiectum seu locus affectus, considerari potest, secundum symptoma, vel secundum morbum: secundum symptoma, est cutis totius corporis, in eâ enim apparet color mutatus: secundum morbum autem, loci affecti plures sunt, & jecur & fellis vesicula, & alia corporis partes.

Subje-  
ctum.

### VII.

Causa proxima & immediata hujus symptomatis & coloris, est humor biliosus, per summam cutis partes diffusus.

Causa.

### VIII.

Humor autem talis, vel in corpore ex internis principiis generatur, vel ab extra, seminarium quoddam, totam massam sanguineam corrumpendi, & in similem colorem transmutandi vim habens, suscipit.

IX. Dif-

## IX.

Diffunditur verò & dispergitur in corpore genitus per Cisternam; Vel quia in tantâ copiam generatur, ut Vesicula fellis totum capere nequeat: Vel quia à sanguine non rectè segregatur: Vel ubi segregatus est, non debito modo à Cysti fellis attrahitur, neq; ad intestina expellitur, sed irritatâ facultate per alienas vias expurgatur.

## X.

Copiosa bilis in suis fontibus generatur, 1. ob calidam jecoris intemperiem, aut sine aut cum febre, cujus vi sanguis in bilem mutatus, per venas in totum corpus distribuitur: 2. Vel ob abusum rerum non naturalium, & immoderatam earum quantitatem & qualitatem, imprimis alimentorum nimis calidorum assumptionem, ut sunt vina generosa, allia, cepæ, sinapi, omnia dulcicia, acria, aromata & similia, quæ hepar & sanguinem inflammant, & bilis copiam coacervant, quæq; terrena sunt substantiæ, & meatus exiles stipant, facilisq; sunt corruptionis: Sic & diu versantibus in aëre nimis calido & sicco bilem multiplicatam & morbum regium, quandoq; Epidemium excitatum fuisse observavit Hipp. lib. I. Epid. Com. 3. & lib. d. affect. inter. Hæc & faciunt nimia vigilia, Exercitationes, aut animi passionis, ut mæror & ira, quibus corpus exsiccat, calidumq; & ad humores tales procreandos aptum redditur.

## XI.

A sanguine bilis, etiamsi justâ quantitate genita, non rectè despumatur & evacuatur: Vel vitio facultatis attrahentis folliculi, vel vitio facultatis expulsiuæ: à natura enim constituta est vesicula fellis, partim ut attrahat bilem à jecore & depuret sanguinem, beneficio fibrarum rectarum, partim ut eam expellat, ratione fibrarum transversarum, quibus prædicta est: quotiescunq; aut neutrum facit, aut saltem non alter-

utrum,

3  
atrum, hic affectus introducitur. Vel non purgatur bilis, quia  
impediuntur aut angustantur viæ, idq. tum compressione,  
quæ sequitur, aut inflammationem, aut scirrhum, aut a-  
lium tumorem partium adjacentium: tum ab obstructio-  
ne, qualis est aut à crassis & viscidis humoribus, aut à calcu-  
lo: Observatum enim à Medicis in sectione corporum, quod  
sæpè in magno numero, reperti fuerunt lapilli in folliculo bilis,  
& in vasis, per quæ fertur, quarum observationum aliquas col-  
legit Schenckius, imò non sine admiratione legitur apud  
Fernelium lib. 6. c. 5. Patholog. rotam visculam fellis in  
Sene quodam in lapidis substantiam fuisse conversam.

#### XII.

Bilis, etsi purgata à sanguine, accidit tamen aliquando,  
ut loco consueto non evacuetur, sed vel per crisin & robore  
Naturæ (quæ in febribus biliosis & acutis, victo & superato  
humore, concitatur ad expulsionem) Vel Symptomaticè  
& vi morbi, ante coctionem materiæ, vel copiâ, vel acrimoniâ,  
aut malignitate stimulata, ad ambitum corporis protrudatur,  
unde color cutis croceus apparet.

#### XIII.

Extrinsicus tandem, quod talem colorem in corpore pro-  
ducere potest, est Venenum, quod vel haustu sumptum, vel  
morsu venenatae bestiae, aut viperae, lepore marini: &c. aut  
alio quocunq. modo corpori communicatum, instar fermenti,  
rotam sanguinis massam penetrat, eamq. corrumpit, & pro na-  
turâ veneni, colorem flavum introducit: Hujus rei exemplum  
habemus apud Galenum lib. 5. locor. affect. cap. 7. Et  
Marcellum Donatum d. histor. med. mirab. lib. 1. c. 9.  
qui ex Avençoäre refert de Azir filio Halij ex potu rei vene-  
natae ictérico facto.

#### XIV.

Ex causis jam positis, difficile haud erit, differentias

Differen-  
tia Essen-  
tiales.

*Icteri constituere. Sex autem pro diversitate causarum & modo generationis, poni possunt, quæ etiam diligenter in curatione observanda veniunt, ut potè quæ illam variant, & Medico in curando, multum lucis adferunt. Prima enim species est, quæ fit Epatis caliditate sine febre, secunda Obstructione vesiculæ fellis, Tertia, quæ accidit in febribus acutis criticè, Quarta quæ accidit in febribus symptomaticè. Quinta ab inflammatione Epatis. Sexta quæ contingit à morfu virulentorum animalium, & venenis.*

XV.

Accidentales.

*Quæ omnes jam enumeratæ icteri species, modò sunt majores, modò minores, & pro suâ naturâ, nunc morbum faciunt contumaciorum, nunc leviorum.*

XVI.

Signa diagnostica.

*Signa, quibus Icterus, tam in genere quàm in specie cognoscendus, Diagnostica dicuntur: Et quidem Icterus in genere, facile cognoscitur, si album oculi inspiciatur, & internus maximè angulus, ubi venæ majusculæ sunt: Eâ enim in parte, evidens coloris mutatio apparet, os amaricat, & quæ sumuntur, gustata, amara putantur. Præcesserunt & vitus ratio & alia, nata bilem flavam generare, quæ in causarum explicatione supra enumeravimus.*

XVII.

*Specierum verò signa, quibus ab invicem accuratè discerni possunt, brevibus inquiremus: Si fuerit icterus, laborante jecore intemperie, obstructione, scirrho, tumore, vel parte aliquâ adjacente malè affectâ, signa procul dubio, quæ hosce morbos demonstrant, ut febris acuta, urinæ & feces alvi, croceo colore tincta, tensio, pondus, aut dolor in dextro Hypochondrio, percipientur.*

XVIII.

*Si vesiculæ fellis vitio accidat, & imbecillitate, quò minus*

minus bilem possit trahere ex jecore, & transmittere ad intestina, malum paulatim invadit, & alvi excrementa albescere incipiunt.

### XIX.

Si verò fuerit obstructa, vel uno vel altero vel utroq; meatu, excrementa à consueti colore deflectunt, & omnino albicant, alvus pigrior duriorq; evadit, idq; bilis transitu inferiori, versus intestina, præcluso: superiori autem vel utroq; obstructo, bilis regurgitat per venas & corpus univsum, locia excernuntur crassa, ex flavo & rubro ferè nigricantia, cui si charta immergatur, protenus crocei redditur coloris, sitq; repente, sine tamen magnâ virium jacturâ, & plerumq; sine febre, ut ignavis summum timorem injiciat.

### XX.

Si verò icterus admodum pertinax existit, & Medicamentis satis efficacibus, recteq; exhibitis cedere recusat, à calculo angustiam vel obstructionem vesiculae felleae provenire, argumento est.

### XXI.

Si icterus per modum crisis contingit, cognoscitur ex signis, quae ponit Galenus s. de loc. affect. cap. 7. præcessit febris acuta; adsunt signa coctionis, & biliosus humor, die critico, subito ad cutem prorumpit, jecur omnis mali est expers, suntq; dejectiones & lotia ferè secundum naturam, agerq; bene se habere incipit.

### XXII.

Contra, si symptomaticus existit, tum, die non critico, neq; signis coctionis apparentibus, in febre acuta; urinâ & fecibus alvi naturalem colorem non obtinentibus, satis infelicitè expulsio biliosi humoris instituta est.

### XXIII.

Demum, si icterum fieri contingat, vel mordente vipera

B

perâ

perâ, aut aliâ ferâ venenatâ, vel propter aliquod Venenum sumptum, ex relatione agri, & adstantium, facile intelligi potest; & si omninò id lateat, Venenum tamen subitâ totius corporis discoloratione, vel alijs signis, quæ venena prodere solent, ut subitâ virium dejectione, nausæ, appetitus prostratione, lyporhymia, & alijs sese manifestabit.

XXIV.

In signis aliarum differentiarum recensendis non est, ut diu commoremur, siquidem illa, referente agro & alijs, satis manifestantur.

XXV.

Prognostica

Ad prognostica accedemus, eaq; ordine perlustrabimus: facilius illa icteri species curatur, quæ fit à leviori morbo, estq; sine febre, in corpore robusto. & novitèr incepta.

XXVI.

Contra, quæ ortum habet ex inflammatione, scirrbo, alioq; partium adcumbentium tumore, estq; vetus cum febre, in corpore debiliori, non nisi difficile, aliquando etiam nullo modo curatur, sed plerumq; in Hydropem desinit.

XXVII.

Similiter illa icteri species, quæ fit ab obstruentibus calculis, Medico multum negotij facebit & difficilem curationem admittit.

XXVIII.

Icterus criticus nihil periculi portendit, juxta Hipp. 4. aphor. 64. sed potius morbum solvit, cum fiat robore natura, Biliosos excrementicios humores, à visceribus & partibus interioribus, ad externas & ignobiliore expellentis.

XXIX.

De ictero symptomatico ait Hipp. sect. 4. aphor. 62. Quibus per febres Icterus supervenit, ante septimum Diem, malum:

lum: Item ictericia mentis lesioni conjuncta lethalis, passim  
in Coacis.

XXX.

Deniq̄ periculo haud vacat, qui à causâ venenata est in-  
reductus, ob ejus potentiam & malignitatem; quin quò vene-  
num nocentius est, à quo provenit, eò & periculosior icterus.

XXXI.

Ad Prognostica quoq̄ referre placet, quod de eventu hu-  
jus morbi, an curabilis vel secus, observatum: Ex farinae hor-  
dei, succi semper vivi & solarri an. lib. 1. acet. alb. ℥ii. forma-  
tur cataplasma, quod inter duo linteamina, supra hepar, per  
dimidiam horam positum, si valde humidum invenitur, ma-  
lum incurabile, sin exsiccatur, benè sperandum, ostendit.

XXXII.

Curacionem aggressuri præceptum Galeni planè au-  
reum, & non solum in hoc affectu, sed omnibus morbis observa-  
tu dignissimum, & summè necessarium, quod extat lib. 9 d.  
composit. medicam. probè considerabimus. Ubi initio eos  
Medicos rectè facere scribit, qui in describendis Medicamentis  
Ictericis, distinctè explicant, quibusnam agrois singula conve-  
niant; contra verò eos, non leviter errare, qui indiscrimina-  
tim ac simpliciter remedia proferunt, quasi illa omnibus ictero  
laborantibus sine accommodata, cum certissimum sit varijs  
icteri differentijs, varia medicamenta convenire, & quæ uni  
profunt, alteri obesse: Quamobrem omni studio allaborabimus,  
ut ad singulas differentias supra positas, Indicationes primò e-  
ruamus, & tandem unicuiq̄ speciei tollendæ, convenientia re-  
media accommodemus.

XXXIII.

Indicationes pro curando ictero, sunt duplices: Una  
habet rationem symptomatis, videlicet ut materia ad cutim

Indica-  
tiones.

B 2

trans



transmissa, resolvatur & discutiat: Altera spectat morbum & causam, quæ quidem cum possit esse multiplex, varias quoq; parit indicationes.

XXXIV.

Itaq; si copia bilis adest, jecore vel vesiculâ fellis laborantibus intemperie, obstructione, inflammatione, aut aliquo tumore, tum singuli hi morbi proprias sortiuntur indicationes; nempe obstructio in Epate, vel vesiculâ fellis est aperienda, humor biliosus evacuandus, intemperies alteranda, & viscus roborandum, & pro conjunctione morborum, corporumq; dispositione, nunc hoc, nunc illud faciendum.

XXXV.

Si malum verò ortum duxerit, in febre à motu critico, Medicamentis vix aliquid agendum, nam Hipp. I. aphor. 20. Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neq; movere, neq; aliud quicquam navare, vel medicamentis vel aliis irritamentis, sed sinere oportet. Contra si opus sit, promovebitur expulsio, frictionibus, sudoriferis, & aspectu rerum citrinarum.

XXXVI.

Symptomaticè verò, quando talis expulsio fit, tunc ad febrim omnem dirigenda actio, qua ablatâ & ipse collitur, Epate etiam bilem generans respiciendum, bilisq;, nisi evacuatio symptomatice perfectæ crisis naturam quodammodo æmuletur, per convenientes vias, per alvum, per Urinas, & per sudores evacuanda.

XXXVII.

Venenum si adsit, & vel morfu animalis venenosi, vel alio modo corpori communicatum, illud mox è corpore expellendum, eiq; Alexipharmacis resistendum.

XXXVIII.

Curatio. Prædicti jam & enumerati Indicationum scopi, optime implen-

implentur, si ex triplici fonte materiae auxiliiorum hauriantur & desumantur, Diætâ, Chirurgiâ & Pharmaciâ.

XXXIX.

Nomine autem Diætæ, comprehendimus non tantum victus rationem, sed etiam legitimam administrationem rerum, quas Medici non naturales appellanc; illam merito primò collocamus, utpote quâ neglectâ aut non strictè observatâ, Medicamentis vix laudabile aliquid perficitur, quare eas ordine contemplabimur.

Diætâ.

XL.

Aer variè nos alterat, docente Galeno lib. 6. d. morb. vulg. l. i. Eligendus purus, temperatus. ad frigiditatem vergens, ac si talis naturâ non decur, arte corrigendus.

XLI.

Vicentur cibi crudi, crassi, & visceri, humorem crassum, biliosum generantes, de quibus in causis dictum, quiq; difficilis sunt coctionis, facilisq; corruptionis: Eligantur εὐχομοί καὶ ἄπειροι, qui benignum & laudabilem humorem gignunt, ex juribus carniû, alteratis petroselino, fœnic. saturiâ, majoranâ, thymo, serpillio & similibus, quæ vim habent attenuandi, & aperiendi meatus oclusos: Volucres montanæ, phasianis, turdi, pipiones, gallinæ, capones, nec non perdices proderunt, magis tamen elixa quam assata: Panis sit benè fermentatus & coctus: Pisces sunt eligendi in saxosis fluminibus degentes, ut lupi, funduli, perca. Acida verò quatenus talia, & in primis acetum fugiendum, cum coctionem & rarefactionem impediât, humoresq; figat: Condire tamen acidiusculis, ut succo citri, vel Vino omphacio, cibos aliquantulum licet, præsertim ubi adesse calida Epatis intemperies, cum febre aut inflammatione, aut in illâ icteri specie à Veneno orta, ut dejecta appetentia iterum excitetur, corruptio inhibeatur, & calor ac fervor humorum temperetur.

B 3

Inter

Inter fructus, conveniunt Uvae Damascenae exacinate, corinthiaca, pistacia, amygd. dulces, nuclei pinei, pruna dulcia ex aqua & saccharo cocta, initio pastus ad facilitandam alvum; à reliquis abstinendum. Aromatum nimis usus ad sanguinis inflammationem non parum facit, ideoq; parca manu adhibenda. Pro potu utendum vino albo & renui, vel diluto aq. graminis, asparagi, aut petrosel. aut Cerevisiâ clarâ, cui non sine fructu convenientes herbae infunduntur.

XLII.

Somnus sit moderatus, nocturnus, neq; statim cenam excipiat.

XLIII.

Exercitationes sint moderatae, & non statim sumpto cibo instituantur: Haec enim alimentum nondum elaboratum, exvenere in diversas corporis partes distribuunt, & sic humorum crudorum copiam pariunt.

XLIV.

Consuetae quoque Evacuationes praeter naturam legem suppressae, debito modo proritandae, praecipue alvus, si non quotidie fluat suppositorijs & clysteribus excitanda.

XLV.

Animi affectus immodici vitentur, animusq; omnibus curis solutus, cantu, Ludis jucundis, suavisq; sermonibus recreetur.

XLVI.

Alterum remediorum genus est Chirurgia, cujus opem in secandis Venis, maxime circa morbi initia, imploramus, praesertim ubi cum jecoris intemperie calida, vel inflammatione, aut ejusdem obstructione sanguis abundat: Praemisso ergo clystere aut glande, si alvus substiterit, aperienda Vena in cubito, inde plus minusve sanguinis, pro ratione plenitudinis, & Virium & aetatis, extrahendo: neq; multum refert, quo in brachio hoc fiat, cum Venae brachij dexteri majorem cognationem cum Epate non habeant, quam brachij sinistri, nisi quis ad occultum

Chirurgia.

oculorum consensum, quo dextra dexteris, sinistra sinistris respondere, confugere velit. Quibus vero hamorrhoides, aut menses sunt suppressi, sanguis ex poplitibus, aut saphenis utriusque pedis, vel & hirudinibus admotis educetur. Sin autem vires sint debiles, cucurbitula, phlebotomia vicaria, scapulis, coxisve, aut malleolis, & cruribus pro arbitrio prudentis Medici rectissime adfigentur.

#### XLVII.

Tertium genus curationis, legitimam Medicamentorum administratione, perficitur, in qua illa ad quatuor potissimum, respicimus 1. Ad materiam in primis vijs harentem. 2. ad obstructionem, quae referenda, 3. ad malam partium dispositionem, quae corrigenda. 4. ad Vires agrorum, quae instauranda.

Pharmacia.

#### XLVIII.

Primis itaque vijs, excrementorum copia repletis, ille leviore aliquo medicamento purgante, ut Mannâ, Cassiâ, syr. rosar. solut. d. cichor. cum rhabar. aut Clystere vel vomitu exinanientur, quo facto, deinceps humores obstruentes preparati, eò melius ex corpore eliminabuntur: Clysteres per intervalla applicandi, pro ratione aegri & constitutione morbi, concinnari queunt, ex rad. fœnic. apij, Herb. Eupat. adianth. absynth. origano, 4. Emollient. fl. chamæm. melilot. sem. anisi, fœnic. Elect. de succo ros. Cass. fistul. mel. rosar. sacchar. rub. cathol. diaphœnic. hier. simpl. ol. chamæm. viol. Vomitus quoque, debito institutus modo, humores excrementitios, ex ventriculo & locis vicinis, commodè expurgans, non nunquam & impactos, quos vix ac ne vix aliud remedium loco movere potuit, evocans, nequaquam hic reformidandus, praesertim in corporibus dispositis, vergente eò materiâ: Excipiari autem potest Aq. Benedictâ Rulandi, item Croci Metallo-  
lorum

lorum aliquot granis per noctem in Vino infusis, aut Sale Vi-  
crioli, vel Asari decocto aut similibus.

XLIX.

Evacuatis primis vijs ad Attenuantia & aperientia,  
quæ simul Epar respiciunt, urinam movent, materiamq; ad  
venas urinarias deducunt, progredimur, cui scopo inserviunt  
Simplicia: Rad. Cichor. s. aperient. dicta, chelidon. mai, cur-  
cuma, anchusa arvensis colore rubro. Endivia, Cuscuta, quæ  
vix quicquam hic præstantius, adianth. calaminth. fanic. gen-  
cian. aristoloch. serpil. rosmar. Hyperic. Agrimon. marrub.  
centaur. min. chamæd. absynth. & similia: Ex quibus Extracta,  
Salia, aque, syrapi simplices præparantur & exhibentur. In-  
ter composita usualia sunt, ex classe Syruporum: Syr.  
Endiv. compos. de duabus aut. s. radic. Byzantin. acetos.  
d. cichor. c. rhab. d. Eupat. Oxymel. simplex, quod, R. aq. font.  
lib. 3. sacchar. cand. ℥ss. mel. ℥vj. aceti ad gustum, idq; in Epatis  
caliditate principatum, inter omnia Syruporum genera,  
obtinere scribit Hollerius.

Ex classe Confectionum & specierum: Diacurcuma,  
dialacca, diacalaminth. diatrium sental. diarrhodon abatis:  
Ex classe Trochiscorum d. Eupat. d. rhabar. d. lacca, idq;  
genus plura commendantur.

L.

Ex prædictis, varia, facili negotio confici possunt formu-  
la, palato ægri haud ingrata: Ut Syrupi, Fulepi, decocta, in-  
fusiones, pulveres, pilulæ, quarum compositionum farrago, pas-  
sim apud Practicos invenitur, inter quas non postremum lo-  
cum occupat sequens decoctum: R. rad. aperient. ℥iij. cichor.  
℥ss. sem. melon. excors. ℥iij. cicer. rubror. ℥ss. cuscut. agrim.  
ana Mi, marrub. alb. Mß passul. ℥vj. Bacc. Juniper. n. xx.  
coq. in aq. Com. colat. R. ℥vj. add. syr. Byzant. simpl. ℥iij.  
misc-

misc. pro tribus dosibus. Simplicissimum sed presentissimum esse dicitur quod paratur ex chelidonia cum aq. equilegij. Item quod sic conficitur R. succi raphan. ℥ij vin. alb. ℥j adjectâ ʒj. sal. prunel. cujus usu tribus aut 4. diebus malum sæpè sublatum est: Conradus Gesnerus ad icterum contumacem, maxime commendat rad. urticae, quarum lib. i. croc. ʒß. contundit diligenter in mortario, & cum vino albo succum extrahit, cujus ℥iv. diebus 4. vel 5. continuis exhibet manè, ægro in lecto decumbente, & stragulis benè cooperto, ut sudet.

L I.

Chymici in hoc affectu commendant Tartarum Vitriol. Cremorè tartari chalybearum, spiritum Sal. convenienti liquore sumptum. Specificum quoque aperiens & luteus suppeditat, cujus grana iij. vel v. cum Extract. Theriac. aut ipsâ Theriacâ, ad sudandum, feliciter exhibentur.

L II.

Occultâ verò qualitate, profligant Icterus, lapis flavus, in felle auri repertus, item lumbrici terrestres ad ʒj. cum suc. cicchor. aut melicrato exhibiti: laudat Quercetanus anserum excrementa aq. convenienti diluta & propinata; quibus, qui volunt, cupedijs delectentur. quin & sæpè in pueris, hunc affectum solvit Decoctum fragariae, cum passulis ex aq. fontan. quod efficacius redditur marrubij Mß. addito.

L III.

In quo corpore autem sola jecoris intemperies absq. insigni obstructione, malum hoc excitavit, sola alterantia, ut Julepia refrigerantia, apozemata & extrinsecus adhibita ceterata, refrigerans Galeni, sunt alinum atq. etiam Epithemata ex aquis & speciebus convenientibus cum pauillo acet. ros. parata sufficiunt & usurpantur.

L IV.

Sin Epar durum existit, fovendum ex aceto, in quo Al-

C

shca

thea & Liliij radices, ficus, passula, cocta, Et Emplastrum, de melitor. vel dialthea malaxat. cum ol amygd. d. vel Ammoniacum ad ℥ij. in moderato aceto dissolutum applicandum.

L V.

Præparantibus hisce, per dies aliquot, rectè præmissis, Purgatio conveniens subjungitur, quæ variâ sub formâ, ex varijs confici potest, à mitioribus tamen semper ad fortiora progrediendo. Galenus c. 7. l. 5. de loc. affect. & libel. d. purgant. Medic. facult. testatur, se multos curasse, antea præparatos, incidentibus & aperientibus Medicamentis cholagogis, quem & nos sequi volumus: imprimis commendatur Extractum Rhabarb. vel sequens infusio: R. rhabar. el. ℥iij. cinam. ℥j. infund. in s. q. aq. cuscut. & graminis, colat. express. R. ℥iv. add. syr. d. marrub. ℥j. vel Elect. d. suc. rosor. ℥ij. d. psyl. ℥j. syr. Byzant. simpl. ℥ss. F. H. Item & hæc: R. ser. lact. ℥iij. in quibus per noctem maduerint ℥ij. Cartham. conquassat. cinam. & ireos florent. ℥ss.

L VI.

Quod si malum pertinax existit, & primo congressu non vult cedere, sæpius per vices, tum attenuantibus, tum evacuantibus insistendum, donec tandem ejus causa educta sit, ægerq; convalescat, Prodest interdum ut purgantia aperientibus admisceantur, quia bilis sæpè crassior est aut per se, aut alterius humoris admistione E. g. R. marrub. cuscut. capil. & an. Mj cicer. rub. ℥ij rad. petrosel. fragar an ℥ss. asar ℥ij. passul. ℥ij. coq. in aq. simpl. in colat, infund fol. sen. el. ℥ij. Agar. albiß. ℥ss. rhabar. ℥iij. sem. anisi fœnic. geniss. an ℥ss. in colat. dissolv. Mann. ℥ss F. por. pro aliquot dosibus vel addatur sacchar. q. s. & F. syr

L VII.

Sufficientur sic corpore purgato, Epar corroborandum,  
Magister

Magisterio chalybis, spiritu Vitriol. conservis, confectionibus & speciebus convenientibus, alijsq; supra positis & recensitis.

LVIII.

Ad reliquias fædi coloris in corpore discutiendas, Balneum & Laconicum instituitur cujus calore exigui pori ampliores redduntur, & per eorum spiracula cuti impacti humores commodius disillantur: idq; tanto citius, si intrinsecus ante balnei ingressum decocta sudorifera propinentur; abluere etiam corpus potest, aquâ dulci, in quâ furfures tritici, & herba emollientes, ut chamomil. aneth. malv. pariet. & similia, cuius relaxandi vim habentia, cocta sunt. Quin & idem linreis asperis perfrictum, insensibiliter humores biliosos, qui curam deturparunt, deponere solet, quod & obtinetur fumo vel vapore ex aceto calente in illud excepto: In quem usum etiam inunctiones, ex oleo Anethino, chamæmelino, conveniunt.

LIX.

Deniq; sicco pede præterire non possum, Magneticam illam curam, quam aliqui in profligando ictero usurpant, sumendo Urinâ agri & farina tritici, panisq; medullâ q. v. quod invicem probe permiscet, & cani comedendum præbent, quo factò agrum liberatum, & canem perijsse, confirmavit aliquoties Experientia.

LX.

Quidam ad expugnandum icterum, Tincam piscem, secundum dorso longitudinem incisum, & exossatum, plantis pedum alligant, & felici cum successu humorem biliosum exerant: alij alia usurpant, quæ his arcessere operis censemus non necessarij.

LXI.

Ceterum si icterus à materiâ Venenosâ, natus sit, pars demorsa aut icterâ quoties sectionem vel cucurbitulas admittit,



ea cum multâ flammâ & altâ scarificatione adhibeantur, & postea illis remotis, gallinarum vel Caponum podex deplumatus applicetur, quo pacto Venenum profundius sicut mirificè educitur: Alij partem lesam in aquâ calente fricant, & Vulneri, scorpionis aut viperæ, truncatis capitibus & caudis abjectis, reliquum corpus in mortario contritum, dextrè admovent, presentaneo remedio: Alij vulnere sacrificato, & urinâ aut muriâ loco, Emplastrum ex probatâ & medicâ etatis Theriacâ applicandum censent: Tandem etiam ad Cor, tanquam Vitæ principium, in quo Virus & Venena imprimis agunt, respiciendum, & illud tam internis, quàm externis remedijs fovendum ac muniendum: In quam rem confestim potio ex Theriacâ antiquâ cum liquore convenienti, & syr. acetos. cit. semel atq; iterum sudoris provocandi causâ, exhibetur. Quo modo & condita, tabulæ & pulveres ex cardiacis pretiosis, ex conservis, alijsq; Antidotis parata, intrinsecus dantur. Extrinsecus autem Epithemata, itemq; sacculi, aromaticis rebus impleri, regioni cordis admoventur.

## LXII.


Venenum haustum, & adhuc Ventericulo hærens, vomitu rejiciatur, & natura, si eò vergat, decentè juvetur: sin ad inferiora ruat, supposito acri, aut clystere extrahatur, & intrinsecus lac, Butyrum, & reliqua venenis adversantia, propinentur: si verò in corporis habitum irrepserit, in varias corporis partes, multâ flammâ scarificatas cucurbitulas affigendas commendat Bric. Bauderonus: Nos verò sudoriferis multò citius scopum propositum adsequemur; Ac si venenum definite cognitum fuerit, illud specificâ suâ antidoto, pro ut docuit Nicander in Alexipharmacis, & post eum Dioscorides, Galenus Avicenna, expugnabitur: Si ignotum, magnis Antidotis, Mithridatio, Theriacâ, Bezoartico Solati, Bezoartico

minera

minerali, & similibus utendum. Et si aliqua corporis partibus  
intemperies à Veneno introducta sit, illa medicamentis conve-  
nientibus emendanda, & penitus extirpanda veniet.

Atq; hæc ita belaxōs, rudi duntaxat penicillo, adum-  
brasse sufficiat.

SOLI DEO GLORIA.



*Viro Clarissimo*

DN. GEORGIO WOLFIO,  
Inauguralem Disputationem, pro  
summis Doctoratus Medici titulis,  
exhibenti,

*Gratulatur*

PETR. LAUREMBERG D.

**N**on prius occulta protrudes semina flamma  
E gelida venis felicis, quam verberare duro  
Hanc pulses, chalybisq; ictu olli terga fatiges:  
Nec prius illustri Fama tibi gloria surget,  
Gloria perpetuum constans victura per arcam,  
Quam non-defesso nisu, & conamine jurgi  
Per varios casus exercita pectora gestes;

C 3

Mox qd

Moxq; domi, mox publicitūs te dedere noris  
Solertem, objectosq; animo superare labores.

Et quis te *WOLEFI*, merito detrudet honore  
Invideatq; tibi gratam per premia famam,  
Cui pridem exacuit flagrans industria mentem;  
Cui jam summus amor, se luci ante ora vivorum  
Sistere, & expertis venientes viribus ictus  
Excipere, igniculosq; sua depromere mentis  
Maacte animi hac virtute! Brevi tuus augur *A-*  
Conferet impensū tibi pulcra brabeja laboris. (pollo

E I D E M.

*Commensali & Sympatriotæ pl. honor.*

**G**emella quæ sunt crura quasi, ambulat  
Integritas, essentiaq; artium,  
queis omnium omnis, crura suntq;  
illa bona *Fabricæ* Gemella.  
absolvit artis nullius ambitum,  
absq; alterà pars altera, cum *Logo*  
*Poetica Hexis* facta *Technè*  
ut faciat bene discit ad rem,  
Ad rem, *Georgi*, quæ medicam bona  
præcepta doctus qui didicisti agens  
plures ad annos *Lipfiscisq;*  
*Leucoreisq;* studens *Athenis*.  
*Exercuisti*, per *Quadriennium*,  
*Stolpæ*, artis usum, in gratiam ubi fuit  
reducere ægros plurimosq;  
Cum meliore *Hygieia* honestum.

Honestæ

Honestæ quæ doctrina dedit docens  
*Scillingij*, doctrinaq; *Blumij*,  
 doctrina *Sennertij*, magni  
 Philosophi-Medici deditq;  
*Exercuisti*, ex arteq; *Sanitas*  
 ut restituta applauderet actui  
 & usui certo medenti  
 Artificis, quæ *Hygieia* finis  
 Quo dispalescat nomen in ordine,  
 clarum Medentum jam magis & magis,  
 magis magisq; ex arte in orbe  
*Fama* in honoreq; dispatescat;  
 Ingurgitasti quæ studio artifex,  
*Wolfi*, medendi gurgēs, in arteq;  
 diu ut fuisti & notiones  
 usu in agente regurgitasti.  
 Gurgēs fuisti, Cum ratione agens  
 artis penetrans in Sacra Te, bene  
 fit, libero usu siq; fias  
 Sol, metagramma tuum id docetq;  
 Gurgēs fui, usu fio Sol; i, vige,  
 Suffer logo, usu: flos egui vigor  
 usu, vigor flos i vige usu  
 Surgo, fugis volui utq; Volvi,  
 Progressuum pro more dedisse Te,  
 privatam erat quæ par, specimen bonum,  
 Examine accuratiore,  
 præteritis placuit diebus  
 Non sufficit, non sufficit ille agon,  
 privatus inter vos Medicos, Tuus  
 Te sistit in doctâ Cathedra,  
Fabricius meritum videri.

Georgij  
 Wolffius  
 s. ava-  
 28000.  
 inAlcaic.

distent

distent lupinis erva quid in die  
possit videri ut clarius, & Tuus  
Virtutis & doctrinae apertam,  
Hic ut agon sit in indicinam.  
Præstantiorum contuitum potest  
Vir ferre, par præstantibus ut Viris  
Virtute factus, non pavetq;  
in medium ire theatrum haveq;  
Quærens latebras qui sibi conscius  
mali in recessum se recipit fugax  
Se proripit, festinat, ut se,  
abstrahat ex oculis recondens,  
Nihil magis rerum optima *Veritas*  
ex liberali conditioneq;  
*Virtus* sui, abscondi erubescit  
quam *ratio* bona Veraq; *artis*.  
Caliginosâ in nocte Scotomata,  
obnubilent ne conspicuum caput,  
Glaucomata obfuscentye ocellos  
perspicuos, rata *Cautio artis*.


GEORGIUS WOLFFIUS,  
rex àva22& pp.


Vifus ego fulgore fui, usu Surgo, fui flos  
egi, frugi usu sive logo *Medicus*.


*adgratulor*

M. PAULLUS SAGITTARIUS!














di ad motu frigidi humores dissoluti, distenden-  
tes in eo dolores pariant.

LXXXVII.

Suadent etiam Practici, ut, præmissis Uni-  
dum ager mittatur in Balneum tepidum ex a-  
prius humectantibus, & moderatè calidis, quo p-  
siccitas tanquam potior hujus morbi pars mirifi-  
si post ejus usum regio ventriculi inungatur ol-  
nuc. moschat per express. admixto modico masti-  
nimento, non malè agro consultum ibitur.

LXXXVIII.

Quibus ita expeditis, membra imbecillia  
Bifici malitià infestata, ut uterum, stomachum, &  
&c. ad naturalem temperiem reducere siudebim-  
obtinebitur, si corroborantia remedia, quorum  
partium facultates recuperantur, & firmantur,  
flectamus: neq; horum tantum locus erit, morb-  
diocriter abolitis, sed etiam totius morbi decu-  
hibita efficiunt, ut eò citius superetur.

LXXXIX.

Ratione uteri, itemq; Ventriculi huc referri  
imbecillitate felicissime passim à Practicis præso-  
quæ prærogativam habere videntur Essent. meliss-  
doariæ. Spir. Virriol. philosoph. idq; genus alia. Li-  
firmabunt Ess. fumar. absinth. centaur. min. cortis  
& Epari quale est cichor. & absinth. tale est Lien-  
cort. rad. capp. Omnium viscerum naturalium B-  
proprietas Paracels. quod in fero lactis tanquã  
ptum, Epari calidiori egregiè prodest: semper e-  
ne frigido Ventriculo studebites, Eparis calore

LXXXX.

Inprimis autem Cordis & Cerebri toto cura  
habèda est ratio, & opera danda, ut illorù Spiritib-  
rũ appulsu obfuscaris pristinam serenitatem conc-  
ternis quàm externis remedijs; in quem finem ex-  
mus varias species Aromaticas, olea si illatitia arc-  
Essentias, Tincturas pretiosas, varij generis opia-

